

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Rectore ... Dn. Friderico Avgvsto, Elector. Saxon. Herede,
ac Reliqua, Dissertationem Moralem, De Eo Qvod Homini
Convenit Circa Brvta**

Calo, Johann Adam Calo, Johann Adam

Vitembergae, MDCCVI.

VD18 13000616

Aphorismvs II. Ita tamen uti iisdem debet, ut neque a rectae rationis
regula, neque ab honestate sit alienum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-13719

104
que sponte consequitur, quod si homo tam singulari liberali-
tatis diuinæ argumento dominium in bruta obtinet, faculta-
tem quoque habeat iisdem pro sua uoluntate utendi.
Non alienum hic uidetur et illud adicere, quod nempe illa
concessio dominii non praecepti uim habeat, ut commode
monet *Pufendorfius L. c.* alioquin homo ad omnimodum eius
exercitium obligaretur peccaretque in legem diuinam, si a-
nimal quodpiam liberum dimitteret, aut occasionem idem
in potestatem redigendi negligeret, sed qualitas tantum sit ali-
qua moralis personae competens ad iuste aliquid habendum,
ut uocat *Grotius d. I. B. et P. Libr. 1. C. 1. §. 4.* seu ut *Pufendorfius* lo-
quitur, *privilegii instar sit, quo quis aliqua re uti potest, quousque libet,
potest, nec tamen ad omnimodum eius exercitium tenetur. L. c.*

APHORISMVS II.

Ita tamen uti iisdem debet, ut neque a rectae rationis re-
gula, neque ab honestate sit alienum.

EXPOSITIO.

I.

Quandoquidem homo iuxta *Ciceronem* ratione et oratione
a brutis maxime differt, sedulo opera ipsi nauanda est, ut
in nullo, quodcunque agit et suscipit, a rectae rationis regula
deflectat. Hoc in usu brutorum quoque ipsi obseruandum
uenit. Vitio itaque non carent actiones gentilium, qui prae-
stantiae insignis dignitatisque humanae immemores infra
bruta se abiiciunt, eaque aut diuinis plane honoribus, aut sal-
tem nimio cultu obseruant. Nulla enim fere naturae pars ab
iis neglecta fuit, quin diuino honore aut aliquo saltem cultu
symbolico digna censeretur. Quod tum ex ueteribus, specia-
tim *Clemente Alexandrino, Eusebio, Augustino et Arnobio*, tum ex re-
centioribus speciatim *Gerrardi Ioannis Vossii Theol. Gentil.* liquet.
Memoratu digna sunt uerba *Clementis Alexandrini*, quae in *Ad-
monitione*

monitione ad gentes p. 25. Oper. Edit. Morel. secundum versionem
 latinam ita fluunt: *Aegyptii dispersi sunt in varios cultus et religio-*
nes. Ex his Syenitae quidam colunt piscem Phagrum. Maeoten autem
(est uero hic quoque alius piscis) colunt, qui habitant Aeleuantinam etc.
Saitae autem Thebani, ouem. Lupum autem Lycopolitant. Canem s-
uero Cynopolitani. Apim Memphitani. Hircum Mendesi etc. A-
*pu*d Aegyptios uice Numinis bouem esse observatum refert
Plinius H. N. Libr. IIX. Facilis ut hic coniectura sit, cur Aaron
 uirulum reuerenter ab Israelitis habendum exstruxerit, quod
 ritus et ceremoniae Aegyptiorum mente nondum recesserant.
 Aegyptios imitatos in cultu bouis fuisse Indos existimat
Scaliger aduersus Cardanum, Exercit. CCLIX. sect. 1. Conferatur
Vossius Libr. III. Cap. 73. et 75. Serpentis quoque cultus ob-
 tinuit apud Aegyptios, teste *Aeliano Hist. Var. Libr. XII. et*
XVII. Eundem cultum apud Boruffos et Samogithos fu-
 isse prodiderunt multi, de illis *Erasmus Stella in Antiquit. Boruf.*
De his uero Sigismundus Baro Herbersteinus in Hist. Moscouit. uid.
Vossius de Idololatria Gentilium Libr. IV. cap. 63. et alibi. Legi me-
 rentur, *Marci Minutii Felicis Octauius seu Liber de uanitate Idolorum,*
Lactantii Libri Instit. diuin. Huetius de Demonstrat. Euangel. Compen-
dium Gotb. H. E. lib. II. cap. I. §. 33. De hodiernis Indis quam super-
 stitiosi adhuc sint in prosequendis diuino cultu brutis utpote
 felibus, simiis aliisque multis nos edocere possunt *Itineraria*
Speciatim Tauernieri aliorumque. Conferatur *Rossaei Liber de*
uariis religionibus mundi et Erasmi Francisci Liber, qui Germanicam
banc Inscriptionem gerit: Staats- und Tugend- Spiegel der
Welt.

I I.

Ob illam diuinae uirtutis, quam brutis inesse putabant,
 gentiles, praestantiam arbitramur factum esse, ut auguria et
 auspicia ab iis caperent fumerentque omina secuturi negotio-
 rum euentus. Copiose de his egit *Caspar Peucerus de Diuinat.*
generibus

VI



generibus et ante eum Cicero de Diuinatione. Ita tamen brutis abutendum non esse sanae rationis praecepta et ipsa bestiarum conditio suadent. Dolendum tamen est, uel ipsos inter Christianos eam gentilium superstitionem nondum penitus expirasse, sed saepius reperiri, qui uolatui auium, canum, feliumque eiulatus et aliorum animalculorum uel clamori uel gestibus plurimum tribuere uidentur. Quanquam non negandum naturalia quaedam inueniri in brutis praesagia, quae insuper habenda non sunt, omnis tamen abesse debet et uana superstitio et nimia his credendi temeritas. Legenda hanc in rem est *Disput. M. Iob. Christophori Ortlobii de brutorum praesagiis naturalibus et Peucerus statim ab initio Libri modo laudati.*

I I I.

Neque desunt quoque inter homines, qui maiorem saepe curam habent equorum, simiarum, canum etc. quam filiorum aut hominum ipsorum, neque tantum illas bestias delicatius innutrient, sed morte peremptis lautissimas decernerent exequias, si per ipsos staret. Perinde regulae honestatis hoc contrarium ac Imperatoris olim R. Caligulae ausus, qui equum ad coenam adhibuit et in poculis aureis uinum propinauit, per salutem eius ac fortunam iurauit, ipsum etiam creaturus consulem si diutius uixisset. *Apud Dionem Cass. inuita Caligulae p 648. Edit. VVeckel. 8.* Neque sapiente dignum est, quod *Plinius Libr. X. cap. 22. H. N. de Lacyde Philosopho* perhibet, qui anserem, quem in uita indiuulsum comitem habuerat, elatum funere multis lachrymis sepeliuit. Nec alienum hic erit commemorare ridiculam curamne dicam an superstitionem, quam Mahumedes, mendax ille Turcarum propheta, adhibuit circa felem dormientem cubantemque in manica tunicae eius, illam enim prius refecari uolebat, quam felis somnum turbare, unde feles adhuc apud Turcas in delitiis haberi refert *Busbequius in Epist. III. p. 140.*

IV. Cum

I V.

Cum etiam omne ius iurandum praestari debeat et concipi per eam rem, quae opinionem habet diuinitatis, uanitas religionis gentilium satis inde elucescit, qui per bruta animalia iurauerunt. Sic Socratis iuramenta per canem, per anserem leguntur apud *Atbenaeum lib. IX. Dipnosoph. cap. 2. Pufendorfius* haec pro iocularibus habet et contra Porphyrii uerba *lib. III. περὶ τῆς ἀποχῆς seu de abstinentia*, pugnat, sine dubio opinione ea, quam de Socratis sapientia habet, in eam sententiam adductus, *Lib. IV. de I. N. et G. cap. 2. §. 3.*

V.

Vix etiam se a suspicione maleficii liberant, qui nocentes domo bestias alunt, eo consilio, ut eorum ministerio utantur aliis hoc liberius insultandi aut dominandi, qualem impietatem ante diluuium fuisse *Samuel Rachelius ex Salomonis Iarchii glossa ad Genesin refert in Praefatione ad officia Ciceronis §. II.* Huc pertinet etiam abominandus cum bestia concubitus, quem sanctissimum Numen tantopere detestatur, ut ob hoc atrocissimum flagitium Sodomam urbem, misso coelitus igne et sulphure euerterit, *vid. Cap. XIX. Gen. v. 24. legeque postea praeceperit, ut bestia illa cum homine in tanti facinoris abominationem occideretur, Cap. XX. v. 15. Leuit.* Mitius et nos hic cum *Auberto Miraeo et Andrea Schotta* aliisque de *Ioanne Casa* existimare uolumus melioraque de homine Christiano sperare, quam quod vulgo de ipso constat. Ipsum enim atrocissimi illius et igne expiandi sodomiae flagitii laudem adornasse dicunt. Vti enim vir erat faceto amoenoque ingenio, sic consilio & uere haec eum fecisse non arbitramur. Notus alioquin est, vir ille ob elegantissimum libellum, qui *Galateus de moribus inscribitur, quem Natban Cbytraeus ex Italiceo latinum fecit.*

B

APHO.



APHORISMVS III.

Vt ui esse possunt homini bruta tum ad uitae sustentationem,
tum iucunditatem, tum quoque commoditatem.

EX ΘΕΟΙΣ.

SVnt quaedam animalia, quae uiua hominibus magis sunt
utilia, alia post mortem alia et uiua et mortua uitae subsidia
hominibus praebent. Ad illa pertinent equi, camelus, canes etc.
ad ista porci, ceruus, lepores etc. ad haec boues, uaccae, oues,
anser, galinae, et id genus alia. Sic sapienter omnia ordi-
nauit indulgentissimum Numen, ut, etsi non una ratione, om-
nes tamen bestiae hominis uitae inferuiant. Imo quae no-
xiae etiam nobis uidentur, utilitate nos minime destituunt.
Nefas itaque non est mactare animalia eorumque carne ad
tolerandam uitam uesci. Quod ipsum probari satis posse du-
cimus ex concessione dominii in bruta mortalibus facta. *Pu-
fendorffius lib. IV. c. 3. §. 3.* inter plures rationes, quibus carni-
um esus et mactatio brutorum stabiliri possit illam praecipuam
esse censet, quod nullum hominibus brutisque ius nullaque
obligatio inuicem intercedat, nec per naturam intercedere
debeat. Quod quidem simpliciter non procedit, sed iure illo
hominibus concessio est firmandum. Quare *Cicero lib. III. de Fini-
bus non tantum* dicit: *nihil esse hominibus iuris cum brutis*, sed addit,
statim rationem, *quippe quae hominum causa ut iis utantur, natu-
ra produxerit*, vid. *Disput. Litbii de iure hominis in bruta §. 48.*

I I.

Non moramur hic eorum superstitiosam a carnibus ab-
stinentiam, qui aut plane religioni sibi ducunt occidere bruta,
aut quod honestati repugnare putent, et sic a carni-um esu ab-
stinant, aut saltem statis temporibus iisdem uesci et frui nolint.
Ad illos pertinent Pythagoraei, ut ex *Schefferi Schola Italica, Por-
phyrii libro πρὸς τὴν ἀποχρῆσιν* aliisque constat. Quibus accensendi
sunt Ebionitae, Encratitae, Manichaei, Priscillianistae, Albi-
genses veteris Ecclesiae Haeretici, de quibus legi potest,